

Cap. XXVI. Rubrica de vino mitendo Venecias domino duci Veneciarum.

Ordinamus quod quilibet potestas et quodlibet regimen iudicum vel rectorum, qui pro tempore erunt, tempore vindemiarum teneantur mittere domino duci Veneciarum vinum quod datur per comune Tergesti eidem domino duci pro honoranciis, et hoc usque ad festum omnium Sanctorum subsequenter venturum, sub pena decem libr. par., quod vinum debeant emisse tribus diebus ante festum omnium Sanctorum, et ipsum citius quam poterint facere charigare et mittere, ad hoc ut non devastetur, sub pena libr. par. vigintiquinque pro quolibet potestate iudice vel rectore. ¶ Et quod iudices vel rectores qui pro tempore fuerint habeant libertatem mittendi cum ipso vino Venecias quemcunque voluerint et sibi videbitur pro meliore.

Cap. XXVII. Rubrica de non valentibus mittere ad mandata extra civitatem Tergesti.

Ordinamus quod potestas iudices vel rectores civitatis Tergesti nullo modo mittere possint nec debeant aliquam personam extra civitatem Tergesti ad aliquod mandatum sive aliquem confinem sine licentia maioris partis maioris consilii, et predicta intelligantur de hiis que sunt¹⁾ extra statuta civitatis Tergesti specificata.

Cap. XXVIII. Rubrica de donacione per dominium non fienda nec de providendo alicui salariato.

Statuimus et ordinamus quod nullum dominium potestatis iudicum vel rectorum civitatis Tergesti facere possit nec debeat donationem alicui persone de bonis comunis mobilibus 260 B vel fixis, nec pactum aliquod facere // cum aliqua persona de 30

¹⁾ Aggiunta marginale.